

XXIV. *A significatione & usurpatione ecclesiasticâ vocis Missa ad Papisticam non valet conclusio.* Nam qui Patres utuntur hoc vocabulo per id non intelligunt sacrificium reale & propitiatorium, sed ipsam Domini cœnam.

XXV. *Deficientibus essentialibus requisitis sacramenti N. T. deficit eius definitio seu essentia.* Requisita ista sunt 1. Institutio immediata à Christo. 2. Signum visibile. 3. Unio signi & signati, pertinens ad omnes Christianos æqualiter. Atqui hæc requisita non occurrunt in Confirmatione baptizatorum, Pœnitentia confitentium, Extrema unctione ægrotantium, Ordine ministrantium, & Matrimonio contrahentium. Itaque falsò ista quinque habentur pro sacramentis N. T.

XXVI. *Ab indignitate actus non licet argumentari ad indignitatem personæ.* Sic in usu S. Cœnæ hypocrita est indignus ratione personæ & actus: fidelis, qui non rectè seipsum probavit & præparavit, est indignus ratione actus, non ratione personæ.

C A P U T XXXIII.

De Resurrectione Carnis.

I. **P**ositâ voluntate & facultate Dei ponitur resurrectio carnis. De voluntate vide manifesta Dei ipsius oracula *Iob. 19. 25. & seqq. Esa. 26. 19. Ezech. 37 Dan. 12. 2. Matt. 12. 40. 41. Cor. 15.* De facultate testatur historia creationis *Gen. 1.* Nam qui potuit è nihilo producere aliquid, ex aliquo potest repro-